Iste Pippinus III, qui cognominabatur Nanus pater Karoli magni, filius autem Karoli Martelli, dum esset vir prudens et bellicosus, et principatum sive dignitatem prefecti palacii, a qua maiores domus dicebantur, ipse post Karolum Martellum strenue administraret, in regia autem dignitate sub regis tantummodo nomine presideret Hildericus desidiosus inutilis et luxuriosus: optimates regni consilio et auctoritate Zacharie pape eundem Pippinum elegerunt ad regiam dignitatem. Fuitque auctoritate et de mandato ipsius domini pape per beatum Bonifacium, archiepiscopum Maguntinensem, in regem francorum unctus et postea per Stephanum papam secundum unctione regali consecratus, detruso in prefato monasterio prefato Hilderico: de quibus fit mencio in decretis, videlicet 15. q. 6 in capitulo alius et cetera. Iste quidem Hildegerus coloniensis archiepiscopus, cum magno exercitu contra Saxones preliante, cum usque ad fluvium Wesaram pervenisset, in expeditione exercitus eiusdem regis proficiscens, in bello extitit interfectus.

— a/ annus I. 3. — 6/ 15 alius — c/ Saxiones 2. — 1.2. d/ Wasaram 2. 3.

g. p. C.

Berthelinus.

18 Decimo septimo loco successit in episcopatu coloniensis ecclesie, sub Pippino rege, venerabilis Berthelinus, sedens annis 10.

19. Ricolphus.

F Decimus octavus adeptus est pontificatum Coloniensis ecclesiae venerabilis archiepiscopus Ricolphus, seditque sub Karolo magno imperatore et Francorum rege annis 22.

F ~~Ricolphus~~ Hildeboldus.

20 Decimo nono loco ordinatus est ad pontificatum coloniensis ecclesie venerabilis pater Hildeboldus, sedens sub dicto Karolo magno et filio ejus Ludowico I imperatoribus annis 34. Qui etiam Hildeboldus prefatum Ludowicum unxit in regem Romanorum.

Hadebaldus.

21 Vicesimo loco episcopalem cathedram Coloniensis ecclesie adeptus est venerabilis presul Hadebaldus, seditque sub Ludowico I imperatore predicto 12 annis.

Guntharius.

22 Vicesimo primo loco ordinatus est in archiepiscopum Coloniensem Guntharius, sedens in cathedra pontificali sub Ludowico II et Lothario I fratribus, imperatoribus Romanis. Cujus quidem Guntharii sororem dictus Lotharius habuit concubinam, nomine Waltradam. Cum igitur idem Lotharius imperator voluisset dimittere uxorem legitimam, nomine Thebergam, et eidem superducere in matrimonium Waltradam concubinam supradictam, falso composuit contra dictam uxorem, imponens eidem crimen incestus; et sentencia huius modi fuit per dictum Guntharium, fratrem Waltrade, nec non Thetgaldum episcopum Treverensem synodali auctoritate confirmata. Causa autem hujusmodi ad audienciam domini pape, videlicet Nicolai I delata et falsitate comperta, depositi fuerunt ambo Colonienses et Treverensis archiepiscopi excommunicati per Nicolaum papam supradictum. Cujus quidem depositionis sententia ponitur in decretis 11 q. 3. in capitulo Thetgaldum et 2. q. 1. in capitulo Scelus.

Wilbertus.

23 Vicesimus secundus accessit ad sedem pontificii coloniensis ecclesie, sedens sub Karolo III, qui dicebatur minor sive grossus, fuit que nepos Ludowici I cognominato pii, atque sub Arnolpho imperatoribus, venerabilis archiepiscopus Wilbertus annis 20, qui reedifi-